

penitentia commotus, necem filio suo Hermenegildo se intulisse doluit, sed usque ad obrinendam salutem non penituit, quia Arianam Hæresim palam non abdicavit. Leovigildo in Hispaniæ Regno successit Recaredus filius, qui fratris sui Hermenegildi pietatem imitatus, & Leandri Hispanensium Episcopi saluberrimis consiliis usus, Catholicam fidem in Regno suo late diffudit, & Arianam Hæresim penitus profligavit. Sub hoc religioso Hispaniarum Rege universi Gothi, ut mox dicebamus, ejurato Arianismo in Ecclesiæ Catholicæ castra commigrarunt, susceptæ Religionis status in Synodo Toletana tertia ab ipsomet Rege Recaredo convocata publico totius gentis consensu, & solemnî Ecclesiæ judicio firmatus est. Accurate etiam in eadem Synodo provisum est, & fidei propagationi, & sacræ Ecclesiæ Disciplinæ, sicut in tertio Colloquio in Historiam hujus sæculi commodius expendemus.

Sed veniamus modo ad Africam, in qua novæ persecutionis turbo Ecclesiam perculit. *Trafamundus* quippe Vandalorum Rex circa annum DIV. in Catholicæ Religionis exterminium totus inebens, fatale edictum in Africa promulgavit, quo districtè prohibuit, ne defuncto Catholicæ fidei Episcopo, alius sufficeretur Catholicus, hoc pacto existimans, fore, ut Ecclesiæ orthodoxis semel Episcopis orbata brevi desolarentur, & Arianorum insultibus paterent. Verum, huic tam injusto edicto non obtemperarunt Catholici Episcopi, sed Pastore suo viduatæ Ecclesiæ Ruspensi *Fulgentium* eductum e Monasterio, in quo hæcenus sanctissime vixerat, elegerunt & consecrarunt Episcopum. Quam rem ubi rescivit *Trafamundus* Rex, furore percitus *Fulgentium* una cum aliis Provinciæ Bizacenæ Episcopis plusquam sexaginta, Sardiniam in exilium relegari jussit. Præter quos eandem in Insulam alii Africanarum Provinciarum Antistites deportati fuerunt, qui, ut scribit *Paulus* Diaconus in Historia Miscell. cap. 15. eum præcedentibus Antistitibus numerum ducentorum viginti quinque Episcoporum compleverunt, & summa licet rerum omnium penuria laborarent, durum tamen illud exilium constanter pertrulerunt. Interea, *Trafamundus*, cum accepisset, *Fulgentium*, inter Episcopos exules doctrina, & pietate conspicuum esse, eum Carthaginem accersivit, ea spe fretus, fore, ut eo superato, & ad Arianam Hæresim pertracto, alii Episcopi ejus exemplum sequerentur. Sed contra spem accidit. *Fulgentius* quippe in Africam reversus, sibi semper constans, & avitæ fidei tenax, qua scripto, qua disputationibus cum Hæreticis strenue congressus, de illorum erroribus gloriose triumphavit, nutantes orthodoxos confirmavit, & lapsos ad gremium Ecclesiæ revocavit. Quod ægre admodum ferens *Trafamundus* Rex, *Fulgentium*, cujus constantiam flectere haud potuit, in Sardiniam remisit, ubi sanctissimus ille juxta ac doctissimus Antistes una cum aliis Episcopis Africanis permansit in exilio ad annum DXXXII. vel, ut alii volunt, DXXXIII. quo anno mortuus est *Trafamundus* Rex, eique successit *Hildericus*, Princeps, ut docet *Procopius* lib. 1. de Bello Vandalico, *subditis*

affabilis, & totus ad mansuetudinem natus. *Hildericus* itaque erga fidem Catholicam optime affectus, *Fulgentium*, aliosque Africanos Episcopos a *Trafamundo* in exilium missos aditum revocavit, in Sedes restituit, & omnibus Regionis libertatem indulgit. Verum, *Hildericus* Vandalorum Rege anno DXXX. e Regno dejecto a *Gelimeris*, *Justinianus* Imperator, qui *Hildericus* amicissimuserat, ad ultionis cupiditatem exarsit, & adversus *Gelimerem* bellum movit, misso *Belisario* duce, qui anno DXXXIII. Carthaginem, & præcipuas Africæ civitates, arceque expugnavit, & anno sequenti *Gelimerem* in suam potestatem redegit, totam Africam Imperio Romano subegit, Arianos ab ea expulit, Catholicis Ecclesiis, & Orthodoxis Episcopis suas Sedes restituit, ac victor Constantinopolim ingressus est equo phalerato intidens, captivis ante se traductis, ipsoque *Gelimeris* identidem ista verba inclamante: *vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Supereft tandem, ut pauca dicam de Italia, quæ sexto Ecclesiæ sæculo gemebat sub Ostrogothorum Regibus, quos inter duo præ cæteris insignes extiterunt, *Theodoricus* videlicet, & *Totila*. Prior, seu *Theodoricus* occiso *Othacro* Italiæ Rege anno ccccxiii. Regnum Ostrogothorum in Italia inchoavit, & quamvis Arianus esset, nullam tamen in Catholicos persecutionem movit, sed potius Schisma subortum in electione Pontificis inter *Symmachum*, & *Laurentium* sua auctoritate extinxit, & Pontificatum *Symmacho* legitime electo adjudicavit. At jure merito culpatur *Theodoricus*, primo, quod *Joannem* Papam Constantinopolim ad *Justinum* Imperatorem proficisci coegerit, eumque a sua Legatione revertentem male ac crudeliter exceperit, sicut jam observavimus. Secundo, quod post mortem *Joannis* Papæ jus eligendi Pontificis Romani sibi attribuerit, & *Felicem IV.* Clero, Senatui, Populoque Romano propulerit. Diu quidem Clerus, Senatus, Populusque Romanus illi resistere, sed ea lege res composita est, ut more pristino Pontifex a Clero eligeretur, Regis tamen assensu confirmaretur, certa pecuniæ summa pro confirmatione imperata non tantum Romano Pontifici, sed etiam omnibus Episcopis, qui sub Gothorum Ditione in Italia degebant, quæ in pauperes erogaretur, sicut innuit *Athalaricus* in Regno Italiæ *Theodorici* successor in suo Edicto adversus Simoniacos. Ea creandi Pontificis ratio obtinuit, quamdiu Ostrogothorum in Italia perstitit Regnum. Alter Ostrogothorum Rex præcipua militiæ laude celebris fuit *Totila* anno DCLI. creatus Italiæ Rex, qui rem Gothicam propemodum in Italia deploratam mirabili fortitudine & singulari prudentia erexit. Jam quippe *Belisarius*, missus in Italiam anno DXXXV. a *Justiniano* Imperatore, universam Siciliam subegerat, Romam expugnaverat, Ravennam, & Gothorum Regem *Vitigem* cum ejus conjugè ceperat, itaut de Gothis in Italia omnino actum ac conclamatum esse crederetur; cum ecce subito *Totila* Gothorum Rex, animadvertens, *Belisa-*

Belisarium ab Italia fuisse amotum, ut novo bello contra Persas a *Justiniano* Imperatore indicto præfesset, Romanos acie victos in fugam compulit, Romam, Neapolim, Samnium, Campaniam & quascumque urbes & regiones a *Belisario* antehac captas recuperavit, & Ostrogothorum in Italia Regnum pene collapsum restaurare visus est. Sed cito evanuit ille Totilæ triumphus. *Narses* siquidem fortissimus dux cum ingenti Romanorum exercitu ab Imperatore *Justiniano* missus, Ravennam adveniens occurrentem sibi cum valido itidem exercitu Totilam collatis signis, insigni ex utraque parte edita strage, superavit, fortiterque dimicantem occidit. Tum Gothi, qui ex prælio evaserant, trajecto *Pado*, urbem *Ticinum*, circumjectaque loca occuparunt, ac sibi Regem crearunt *Tejam*, qui tamen eodem anno, cum Romanis commisso prælio, post aliqua heroicæ fortitudinis argumenta occubuit, & cum eo extinctum est Ostrogothorum in Italia Regnum, quod ultra annos IX. prorogatum non est. Cæperat enim anno cccxciii. quo *Odoacer* a *Theodorico* primo in Italia Ostrogothorum Rege occisus est, & finem habuit in *Teja* ultimo in Italia Ostrogothorum Rege, qui victus a Romanis interit anno DLI. vel, ut alii volunt, DLI. Habes nunc statum Ecclesiæ in sexto sæculo sub Principibus Christianis, & Persecutiones, quas id temporis passa est Ecclesia. Consulto autem prætermisi persecutionem, quam *Cabades* Persarum Rex, imperante *Justino*, excitavit in Christianos, quorum plurimi, linguis, ipsius jussu, præcis, locuti sunt. Hæc enim persecutio brevis admodum fuit, & Christianis postmodum impense favit ille Persarum Rex, ut videre est apud *Nicephorum* lib. 16. Hist. Eccles. cap. 36.

COLLOQUIUM II.

De Controversiis, Hæresibus, & de causa trium Capitulorum, quæ in sexto sæculo afflixit Ecclesiam.

Fuitne tandem in sexto sæculo ab omnibus Orientalis Ecclesiæ Episcopis excepta, & approbata Œcumenica Chalcedonensis Synodus?

M. Flavianus Patriarcha Antiochenus, & *Macedonius* Patriarcha Constantinopolitanus ad saniorum doctrinam reducti, Concilii Chalcedonensis defensionem susceperant, jamque spes affulgebat, fore, ut, sublatis omnibus dissidiis, Ecclesiæ Orientalis Episcopi in eandem sententiam descenderent, & tandem aliquando Chalcedonense Concilium suo calculo approbarent. At *Severus* Egypti Monachus, Sæctæ *Severianorum* Auctor, & Concilii Chalcedonensis acerrimus insectator, hanc spem vanam omnino reddidit, novaque in Oriente turbas adversus Concilii Chalcedonensis defensores concitavit. E Monasterio quippe anno DXXI. *Severus* una cum illis, qui ejus opinioni adhærebant, ejectus, mox ad Urbem Regiam perrexit, tam pro se, quam pro illis, qui cum ipso expulsi fuerant, legationem obituros, sicut

refert *Evagrius* lib. 3. cap. 33. Ea in legatione ad notitiam, & familiaritatem *Anastasi* Imperatoris pervenit *Severus*, illiusque animum contra Concilii Chalcedonensis defensores adeo malis artibus exasperavit, ut *Flaviano* & *Macedonio* suis Sedibus Patriarchalibus jussu Imperatoris dejectis, & in exilium missis, ipse in Sedem Antiochenam temere ac violenter sese intruserit, & confestim Epistolam Synodicam, in qua Concilium Chalcedonense anathemate damnabat, miserit ad Orientis Episcopos, quam multi Episcopi recipere, eumque ceu legitimum Episcopum agnoscere cum nollent, non mediocriter ad iram accendit Imperatorem. Ast suam non diu sacrilegam temeritatem *Severus* impune tulit. Mortuo siquidem *Anastasio* Imperatore anno DXXVII. *Justinus*, qui ei successit, primo sui Imperii anno *Severum* comprehendi jussit, & linguæ abscissione plecti. Quo nuncio accepto, *Severus* fugit in Ægyptum, eoque Sede Antiochena, quam invaserat, dejecto, ad Thronum Patriarchicum Antiochenum evectus est *Paulus* egregius Concilii Chalcedonensis defensor. *Timotheus* quoque, quem *Severus* Sedi Constantinopolitanae injuste præfecerat, jussu *Justini* Imperatoris, expulsus est, & in ejus locum substitutus *Joannes II.* qui statim congregata Constantinopoli Synodo XLIII. Episcoporum, *Severum* Hæreticum & Antiochenæ Sedis invalorem condemnavit, eundem omni honore, nomine, dignitate & operatione privavit, & gesta in hac Synodo Constantinopolitana ad Metropolitanam Tyri *Epiphanium*, & ad *Joannem* Patriarcham Hierosolymitanum, atque ad alios de more transmisit. *Epiphanius* acceptas Synodicas *Joannis* Patriarchæ Constantinopolitani Epistolas publice in Ecclesia coram Episcopis Provinciæ recitavit, tumque universus populus in festivas acclamationes erumpens, hæc sæpius ingeminabat: *Ejecit Severum Dei Genitrix, qui turbavit Ecclesiam.* Item: *Imperator jussit, ut dixit Synodus. Imperator jussit, & tota Synodus.* Rursus. *Trinitas vicit, recessit Acephalus &c. Depositus est Acephalus.* Post illas sæpius repetitas populi acclamationes, Episcopi anathema pronunciarunt contra omnes Hæreticos, præcipue contra *impium, & Dei impugnatorem Severum Acephalum & Manicheum.*

Venio nunc ad alteram Controversiam eodem tempore etiam ventilatam. *Justinus* Imperator anno DXX. ad *Hormisdam* Papam scripsit, ab eoque petiit, ut, damnato *Acacio* quondam Episcopo Constantinopolitano, & aliis erroris anathematizatis Auctoribus, cæterorum nomina in Diptychis retinerentur. Hæc quæstio potissimum movebatur propter *Euphemium*, & *Macedonium*, qui summa cum laude Ecclesiam Constantinopolitanam rexerant, & quorum opinio apud populum maxime florebat. *Hormisdas* in priori sententia perstitit, & quamvis in Epistola, quam scripsit ad *Justinum* Imperatorem, ejus pietatem, & in pace Ecclesiæ procuranda studium pluribus commendet, concedere tamen noluit, ut *Euphemii*, & *Macedonii* nomina in Diptychis Ecclesiarum Orientalium inscripta remanerent. Verum, cum tot Ecclesiis, videlicet

licet Constantinopolitanae, Ponti, Asiae, Palaestinae, ac totius praesertim Dioeceseos Orientalis seu Antiocheni Patriarchatus, quae Euphemii, & Macedonii nomina e Diptychis expungere detestabantur, Justinus Imperator vim inferre nollet; id consilii cepit Hormisdas Pontifex, ut istud negotium Epiphanius, qui post mortem Joannis II. consecratus fuerat Episcopus Constantinopolitanus, prudentiae permitteret, cui ideo Vicariam Sedis Apostolicae Praefecturam delegavit. Hac igitur sibi demandata Vicaria Sedis Apostolicae Praefectura Epiphanius summa cum prudentia usus est, ejusque opera omnibus Orientis Episcopis in Sedis Apostolicae communionem admissis, pax inter utramque Ecclesiam Orientalem scilicet & Occidentalem anno DXX. omnino confecta est.

D. Nulla ne alia circa Doctrinam in sexto Ecclesiae saeculo excitata est controversia?

M. Gravissima in sexto Ecclesiae saeculo circa hanc propositionem: *unus de Trinitate passus est*, mota est controversia. Hanc quippe propositionem, quam S. Proclus Episcopus Constantinopolitanus docuerat in sua Epistola ad Armenios citata in Concilio Chalcedonensi, de industria Petrus Fullo Haereticus Eutychnianus sacro Trisagio addiderat. Imperator quoque Zeno Eutychnianorum fautor eam inferuerat in suo Edicto, quod *Henoticon* appellavit, & Anastasius ejus in Imperio successor, alique, qui Chalcedonensem Synodum rejiciebant, eandem propositionem crebra usurpatione consecraverant. Quo factum est, ut haec propositio: *unus e Trinitate passus est*, quasi Eutychnianorum redolens Haeresim, apud Catholicos male audiret. Contigit autem circa annum DXIX. ut Monachi Scythae, quos inter eruditione eminebat Joannes cognomento Maxentius, hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne crucifixus est*, omnibus, & credendam, & defendendam passim inculcarent. Sed cum praedicti Monachi a Victore Diacono, & a quibusdam aliis Catholicis tanquam Eutychniani per contemptum sese traduci viderent, fidei libellum Legatis Hormisdæ Papae Constantinopoli exhibuerunt, in quo suam de Christo Domino fidem pluribus exposuerunt. Legati, sapius illis auditis, quo ejusmodi hominum sese molestia liberarent, tale demum dedere responsum: *quod non est scriptum a Leone Papa, non suscipimus*. Hac repulsa Monachi Scythae in indignationem acti, Romam ad Hormisdam Legationem mittere decreverunt. Electi *Achilles, Joannes, Leontius, & Mauritius*, qui hac Legatione fungerentur. His Romam appulsi, Hormisdas integram Scytharum causam pendere iussit usque ad reditum Legatorum. At cum Romae jugem annum, & amplius morati fuissent Scytharum Monachorum Legati, & aliunde Dioscorum Hormisdæ Legatum, quem hostem infensissimum semper experti fuerant, propediem Romae adfuturum intellexerent, ne illius, & Hormisdæ, qui ad eorum sententiam accedere volebat, auctoritate opprimerentur, diuturniorem Romae moram se facere haud posse distantes, ex urbe egressi sunt. Ea agendi ratione offensus Hormisdas Papa, Episto-

lam scripsit ad *Possessorem*, in qua Monachos Scythas ut contentiosos, superbos, pertinaces, & ad seditionem proclives coarguit, nec Justiniani nepotis Justiniani Imperatoris precibus, qui Monachis Scythis impense favebat, flecti unquam potuit, ut sua autoritate probaret hanc a Monachis Scythis assertam propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*; tum quia, inquiebat Summus ille Pontifex, nonnulli sibi persuadere poterant, hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*, aliquam affinitatem habere cum *Petri Fulonis* recens proscripto dogmate: tum quia etiam Synodus Chalcedonensis absque ope illius propositionis Haereses Eutychnis, & Nestorii confixerat. His permotus rationibus Hormisdas Papa approbare noluit hanc Scytharum Monachorum propositionem, quam ad fidem in Concilio Chalcedonensi stabilendam minime necessariam, sed potius intempestivam, & turbandae potius Ecclesiae, quam aedificandae opportunam esse, judicabat (a).

(a) Unam ex potissimis rationibus, quibus suspiciosum fuisse potuit Hormisdæ alitque, ne additamentum trisagio permitterent, hanc extitisse suspicor, quod Eutychnianis auctoribus in tota Antiochena provincia per vulgatum jam usu obtinisset. Ex quo factum, ut merito de Eutychnianismo suspiciosum haberi potuerit, metuebaturve saltem, ne eo admissio velamentum Eutychnianis praerberetur, quo haeresim suam impune propagarent. Quae de recepto in Antiochena provincia eo additamento dixi, asseruntur generatim a multis Orientalibus verustis Scriptoribus apud Affemanum in sua Bibliotheca Orientali.

D. Monachi Scythae, qui hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*, tam acriter defenderunt, Eutychniana Haeresi fueruntne infecti?

M. Eminentissimus Annalium parens Card. Baronius Eutychniana Haeresis notam Monachis Scythis inussit, a qua tamen doctissimus Cardinalis Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 18. & seq. illos egregie vindicat, demonstratque, Monachos Scythas non solum ea culpa vacasse, sed etiam Eutychniana Haeresis strenuos oppugnatores fuisse, quamvis tamen fateatur, obstinatum eorum studium, quo praconceptae sententiae ad caeterorum usque contemptum adhædere, culpa non caruisse. Certe, ut obiter dicam, Monachos Scythas ab Eutychniana Haeresi prorsus alienos fuisse, variis momentis evinci potest. Primo, quia duas in Christo naturas post incarnationem inconfusas professi sunt, ut videre est in libello fidei, quem praedicti Monachi Legatis Hormisdæ Papae Constantinopoli exhibuerunt. Secundo, *Eutychem, Dioscorum, & eorum Sectatores* atque fautores palam damnaverunt, & Synodum Chalcedonensem magna cum veneratione susceperunt, ut liquet ex eorum fidei confessione, quae extat tomo IV. Biblioth. Patrum Parisiensis. Tertio, Monachi Scythae suam fidei professionem per Joannem Diaconum miserunt ad Episcopos Africanos, qui a *Trasamundo* Vandalorum Rege

Aria-

Ariano, in Sardiniam exules fuerunt deportati, quos inter doctrinae & sanctitatis fama eminebant Episcopi Provinciae Bizacena, quorum *Dacianus* antiquitate, & *Fulgentius* Ruspensis Episcopus scientia primas tenebant. Perlecto igitur illo fidei libello a Joanne Diacono delato, Episcopi Africani non solum fidem Monachorum Scytharum ex integro commendaverunt, verum etiam data opera librum scripserunt, cui titulus *de Incarnatione & Gratia*, in quo omnes Scytharum de Christo, & de Gratia sententias approbarunt, multisque solidis argumentis muniverunt. Porro, tot nobiles doctrinae suae adstipulatores nascisci non potuissent Monachi Scythae, si revera in luto Eutychniana Haeresis haesissent, sicut asserit Baronius. Quarto, hanc propositionem: *unus e Trinitate passus est in carne*, pro cuius defensione tot peregrinationum incommoda, totque labores Monachi Scythae devorare coacti sunt, approbavit, & Catholicam declaravit anno DXXXIV. Joannes II. Summus Pontifex in Epistola ad Justinianum Imperatorem, in qua etiam *Acemerus* Monachos, qui acerrime Scythis Monachis resistentes in hunc errorem proruperant, quod negarent *unum de Trinitate passum, & Beatam Mariam vere, & proprie esse Dei Genitricem*, communionem privavit laudatus Pontifex, nisi resipiscerent, & ad sanam mentem redirent. Eandem propositionem; *unus e Trinitate passus est in carne*, pro cuius veritate tanto conatu certarunt Monachi Scythae, sub anathemate credendam proposuerunt quinta Synodus generalis Canone X. & Concilium Lateranense sub Martino I. Can. 11. His itaque momentis manifesto patet, Monachos Scythas Eutychniana Haeresi non fuisse infectos, & hanc propositionem: *unus e Trinitate passus est in carne in sensu Catholico intellectam defendisse*.

Non me fugit; *Trifolium* Presbyterum in Epistola ad *Faustum* Senatorem, quae extat tomo IV. Conciliorum Editionis Labbeanae pag. 1590. hanc propositionem a Monachis Scythis assertam *unus e Trinitate passus est*, sinistro prorsus interpretamento excepisse, dum sic ait: *ista doctrina de fonte Arij prodit, & conveniens cum omnibus Haeresibus &c.* Verum, hac in re *Trifolius* excusatione dignus est. Quippe, qui a *Fausto* Senatore de hac propositione per Epistolam interrogatus, nec de fide & doctrina Scytharum Monachorum certior factus, sed de turbis dumtaxat ab ipsis Constantinopoli, & Romae excitatis, facile sibi persuasit, illos Monachos in sensu haeretico hanc propositionem asseruisse, cum Legatos Hormisdæ Romani Pontificis adversarios haberent, immo & ipsummet Summum Pontificem. Cum igitur *Trifolius* nec professionem fidei, nec libros a Monachis Scythis editos, dum hanc ad *Faustum* scripsit Epistolam, adhuc legisset, mirum non est, si in hac quaestione facti erraverit, & Haeticum illius propositionis sensum Monachis Scythis affixerit, a quo tamen illi vehementer abhorrebant. Sed haec obiter in gratiam Scytharum Monachorum dicta sufficiant. Si autem plura super hac re scire aveas, leges Cardinalem *Norisium* loco mox laudato, & *Natalem Alexandrum* *Graves. Hist. Tom. II.*

drum Dissertatione 1. in Historiam Ecclesiasticam sexti saeculi.

D. Haeretici Eutychniani dicti *Acephali*, qui Concilium Chalcedonense rejiciebant, fueruntne in varias Sectas divisi?

M. Quatuor inter Haeticos Eutychnianos dictos *Acephalos* natae sunt Sectae, quarum una erat *Corrupticolarum*; altera, *Incorrupticolarum*; tertia, *Agnoetarum*; quarta *Trisbitarum*. Hi, qui *Corrupticolae* dicebantur, *Severum* Monachum Haeticum; & Sedis Antiochena invasorem, cuius superior memini, sectabantur. Ille quippe Haeticus interrogatus, an Christi Domini Corpus ante resurrectionem fuisset corruptibile fuisse, & perinde ac corpus nostrum detrimenta passum fuisse, propter quae reparanda, esuriret, sitiret, defatigaretur, opusque haberet cibo, potu, & requie, ad reficiendas vires. Quo audito *Severi* responso, quidam *Alexandrinorum* a *Juliano* Halicarnassensi Episcopo sollicitatus est, quid ea de quaestione ipse sentiret? Tum ille Haeticus Eutychnianus ex adverso dixit. Corpus Christi ante resurrectionem incorruptibile fuisse, & specie tenus dumtaxat, solaque aeternitate, famem, sitim, aliasque id genus affectiones, quemadmodum post resurrectionem, passum esse in terris. Ex hoc *Juliano* Halicarnassensi Episcopo pululavit Secta *Incorrupticolarum*, seu *Phanastastarum*, vel *Aphtardocetarum*, quos hoc potissimum argumentum movebat: si corruptibilem Christi carnem dixeris, jam hoc ipso duas in Christo naturas fatearis, necesse est, unam incorruptam, alteram corruptionis capacem. Eo argumento usos fuisse *Incorrupticolas* testatur *Leontius* lib. de Sectis Actione v. At *Severus*, alique *Corrupticolae* & contrario asserunt, posse in Christo naturae singularitatem adstrui, licet ejus caro corruptioni esset obnoxia. Haeresim *Incorrupticolarum* refellunt omnia Scripturae sacrae testimonia, quae Christum esurisse, defatigatum, & mortuum probant. Eam itidem refellunt Sancti Patres *Justinus* Martyr Oratione contra Gentes, S. *Athanasius* l. de Incarnatione, *Basilii* Oratione de *Gratiarum* actione, *Gregorius* Nisenus l. contra Eunomium, S. *Joannes Chrysostomus* Hom. 86. in Joannem, S. *Gregorius Nazianzenus* Oratione in sancta *Lumina*, S. *Ambrosius* lib. de *Fide ad Gratianum*, & S. *Cyrillus Alexandrinus* in Epistola ad *Succesum*, quorum testimonia *Leontius* Byzantinus lib. 2. contra *Nestorium*, & *Eutychem* refert. Eandem *Aphtardocetarum*, seu *Incorrupticolarum* Haeresim accurate refellit doctissimus noster *Natalis Alexander* Dissertatione sexta in Panoplia adversus Haereses sexti Ecclesiae saeculi.

Dum haec Alexandria de *Corruptibili*, & *Incorruptibili* inter Eutychnianos serveret disceptatio, *Themistius* Diaconus (non vero *Themistius* gentilis ille Philosophus, qui saeculo quarto vixit, sicut *Nicephorus* lib. 18. Hist. Ecclesiast. cap. 49. oscitanter scripsit) *Timotheum Asterium* (a) Episcopum Alexandrinum, & Haeticum *Acephalum* interrogavit, an Christus ignoraret aliqua, cum fuerit corruptioni obnoxius? Id *Timotheus* negavit; a cuius proinde communionem deficiens *Themistius*, Christo ignorantiam adscripsit.

E 3

& Agnos-

& Agnoetarum Sectam conflavit, qui etiam The-
mistiani ab illo dicti sunt. Hi Hæretici asse-
rebant, Christum ignorasse diem Consummationis
atque Judicii, sicut testatur S. Sophronius Patriar-
cha Hierosolymitanus in litteris ad Sergium Pa-
triarcham Constantinopolitanum, quæ lectæ sunt
in Actione XI. sexti Concilii generalis. Affir-
mabant etiam, Christum ignorasse, ubinam es-
set sepulchrum Lazari, de quo apud Evangelis-
tam Joannem sanctas sorores interrogavit his
verbis: *ubi posuisti eum?* Hunc Agnoetarum erro-
rem cum Monachi Palæstini ad Gregorium M.
Papam detulissent, munus illum confutandi Eu-
logio Patriarchæ Alexandrino creditum est. Is
autem, sicut refert Photius Codice 230. probavit
primo, nihil prorsus Christo Domino, etiam ut
homo erat, latuisse, hocque in dubium revoca-
re, periculosa temeritatis esse. Secundo, osten-
dit, eorum, quæ de Christo in sacris litteris di-
cuntur, quædam illi secundum veritatem conve-
nire, puta famem, sitim, &c. quædam per ve-
litationem, ut ad ipsum proprie non pertineant,
sed ad eos, quorum ipse caput est, ut exempli
gratia, cum peccatum, & maledictio nostri cau-
sa factus dicitur, hujusque generis esse ignoratio-
nem, quam Psalmus 78. exprimit his verbis:
tu scis insipientiam meam. Tertio, observat,
per sciscitationem non continuo indicari nescientiam;
cum ipsemet Deus ab Adamo quaesierit,
ubi es? Denique addit Eulogius, quosdam cen-
sere, Christum propter nonnullas rationes, ne-
gasse se scire diem judicii, maxime ut a curio-
sis id genus quaestionibus discipulos evocaret, vel
eum insipientiam professum fuisse propter naturam
quam gerebat, non quod sibi quidquam ignotum,
abstrusumve fuerit. Hæc Eulogius, cujus librum
contra Agnoetas editum utriusque Ecclesiæ tra-
ditioni consentaneum esse, S. Gregorius M. Pa-
pa declaravit lib. 10. Epist. 35. Hunc Agnoeta-
rum errorem solide quoque refellant Christianus
Lupus in Dissertatione de quinta Synodo genera-
li cap. 7. & Natalis Alexander in Dissertatione
septima contra Agnoetas in Panoplia adversus
Hæreses sexti Ecclesiæ sæculi.

(a) Timotheum Alexandrinum Episcopum
binominem hic Gravesonius indicat, ut Timo-
theus Asterius appellaretur, persuasus a Garne-
rio in notis suis ad Liberatum cap. XIX., sed
ejus sententia paucis aridet. Censent enim
alii Asterium nunquam Patriarchalem sedem
Alexandrinam obtinuisse, eo quod, inquit,
nec in tabulis Theophanis, nec in Chronico
Victoris Tununensis, nec in tabulis Patriar-
charum Coptitarum appareat. Verum Assemanus
biblioth. Orient. tom. 1. pag. 382. in notis ad
epistolam Simeonis Episcopi opinatur geminos
tunc extitisse Alexandrinos Patriarchas, alium
scilicet Catholicum, qui patri suæ præfesset, al-
ium ab hæreticis assumptum, idque adductis
aliis exemplis in more tunc Alexandria obti-
nuisse demonstrat. Igitur in ejus sententia duo
tunc extiterunt Patriarchæ Alexandrini, Ti-
motheus scilicet hæreticus, & Asterius Catho-
licus, quem Patriarcham Alexandrinum vocat

Metaphrastes in vita S. Arethæ & vetus me-
nologium Græcorum apud Lambecium lib. V.
pag. 133. Hic vero Asterius dari potuit Epi-
scopus Alexandrinus Catholicus a Justino Impe-
ratore, quæ est Baronii sententia ad annum
521. n. 40.

Postremo, Auctor Trithitarum Sectæ fuit Joan-
nes Grammaticus, cognomento Philoponus, Euty-
chianus, qui quasi tutor ultra crepidam proce-
dere, & falcem in messem alienam mittere vo-
lens, in graves impegit errores. Hic siquidem
Naturam ab Hypostasi, seu Persona cum non
distingueret, sic incite ratiocinabatur: Natura
non distinguitur ab Hypostasi, seu Persona, sed
in Christo est unica Hypostasis, seu Persona, ergo
in Christo est unica natura, seu divina. Qui
error est Eutythianorum. Rursum eodem falso
nexus principio sic arguebat: Natura non distin-
guitur ab Hypostasi, seu Persona, sed in Trini-
tate sunt tres Hypostases, seu tres Personæ, igitur
& tres naturæ. Qui error est Arianorum,
& Trithitarum. Negavit etiam Philoponus re-
surrectionem Corporum, & adversus illam librum
conscriptit, quem Theodosius, Conon, Eugenius,
& Themistius Eutythianæ pariter Sectæ homines
acerrime confutarunt, ut videte est apud Photium
in Biblioth. Cod. XXI. XXII. & XXIII. Hæ
sunt quatuor Sectæ, quæ ex Acephalorum Hæresi,
quasi totidem belluæ ex monstro sine capite eru-
perunt.

D. Circa Hæresim Agnoetarum, qui Christo
ignorantiam tribuebant, hoc unum scire velim,
an scilicet Agnoetis accensendus esset ille, qui
assereret, Christum, ut hominem, aliquid igno-
rasse eorum, quorum scientiam quovis modo ha-
bere potest?

M. Qui assereret, Christum, ut hominem,
aliquid ignorasse, Hæreticus Agnoeta non foret,
quia illi Hæretici dicti Agnoetæ ignorantiam Chri-
sto non solum secundum naturam humanam,
sed absolute secundum naturam omnem affinge-
bant. At enim illi Hæretici, utpote Eutythiani,
unam dumtaxat naturam, seu divinam, in
Christo post Incarnationem agnoscentes, nullam
in eo admittebant naturam, per quam sciret il-
la, quæ antiqui Patres dicunt, Christum secun-
dum naturam humanam nescivisse, sed secundum
naturam divinam perfectissime cognovisse. Quan-
do igitur Hæretici Agnoetæ dicebant, Christum,
ut hominem, ignorare diem judicii, intellige-
bant, Christum penitus ignorare diem illum,
adeo ut secundum nullam naturam ipsum cogno-
verit. Cæterum, quamvis ille, qui assereret,
Christum secundum naturam humanam aliquid
ignorasse, Hæreticus Agnoeta non esset, incide-
ret tamen in errorem alienum a doctrina San-
ctorum Patrum, qui constanter docent, Chri-
stum, etiam secundum naturam humanam, nec
extremi judicii diem, nec sepulchrum Lazari, nec
aliud ignorasse. Legi potest super hac re Natalis
Alexander Dissertatione 39. in Responsione ad ter-
tiam objectionem in Panoplia adversus hæreses
quarti Ecclesiæ sæculi.

D. Præter illas quatuor, quas mox recensuisti,
Ace-

Acephalorum Hæreticorum Sectas, fueruntne in
sexto Ecclesiæ sæculo alii Hæretici, qui in ali-
quorum Sectam coalescerent?

M. Acemetae Monachi fervidius impugnantes
Scythas Monachos, de quibus jam sermonem ha-
buimus, lapsi sunt in Hæresim, quæ potissimum
in hoc versabatur, quod negarent, unum de Trini-
tate incarnatum & carne passum esse, atque Bea-
tam Mariam Virginem vere, & proprie Dei Geni-
tricem esse. Imperator Justinianus anno dxxxiv.
adversus Acemetas Monachos, Romam ad Joan-
nem II. Summum Pontificem misit Hypatium E-
phesiorum Episcopum, & Demetrium à Philippis,
ut hanc Hæresim Sedi Apostolicæ denunciarent.
Acceptis Imperatoris litteris, auditaque Legatio-
ne, Joannes II. ad Justinianum Imp. scripsit E-
pistolam, in qua Acemetas Monachos obstinato
animo in errore perseverantes ab Ecclesiæ com-
munionem præcidit, nisi ab errore quamprimum re-
sisterent. Eodem anno, eademque de causa Joan-
nes II. litteras ad Senatores Avienum Liberium,
aliosque dedit, quæ extant apud Baronium, in
quibus tres sibi ab Imperatore propositas quæstio-
nes affirmat, quæ subortis diffidii occasionem de-
derant. I. *Utrum unus e Trinitate Christus Deus
noster dici possit?* II. *An Deus Christus carne per-
tulit, impassibili Deitate?* III. *An proprie & ve-
raciter Mater Domini nostri Jesu Christi Maria
semper Virgo debeat appellari.* Quas propositiones
tamquam fidei Catholicæ consentaneas se appro-
basse scribit Summus Pontifex, eademque subie-
tis Scripturæ sacre, & Sanctorum Patrum testi-
monii confirmat, ac denique illos Senatores mo-
net, ut Acemetarum Colloquia vitent, nihilque
cum illis sibi existimare esse commune. Hujus
Acemetarum Monachorum Ordinis in Ecclesia
Orientali olim celeberrimi fundator in quinto Ec-
clesiæ sæculo extitit S. Alexander, cujus vitam
ab Auctore Acemeta Monacho ejus discipulo scri-
ptam edidit Bollandus ad diem xv. Januarii. Ap-
pellabantur autem illi Monachi Acemetae, idest,
Insomnes, non quod prorsus insomnes, & jugiter
conviventes oculis, perpetuis sese vigiliis exer-
cerent, ut quidam de illis perperam scripsere, sed
quod divina in eorum Ecclesiis Hymnologia, seu
Psalmodia diu noctuque nunquam cessaret, nulla-
que hora vacaret a divinis laudibus. Quæ perpe-
tua Psalmodia, ut jam observavimus in ultimo
Colloquio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, in
Monasterium Agaunense, & in quædam alia
Galliarum Cœnobita fuit etiam introducta.

D. Expone nunc, quæso te, sed breviter, or-
tum, progressum, & finem famosæ, ac sæpius
decantatæ trium Capitulorum Causæ, quæ, uti
sæpius audivi, Ecclesiam in sexto sæculo diu mul-
tumque exagitavit.

M. Celeberrimæ trium Capitulorum Causæ ori-
ginem dedit damnatio doctrinæ Origenis, quam
Pelagius Vigilius Papæ Constantinopoli Apocrisarius
procuravit, eo pacto sperans, se Theodori
Cæsareæ Cappadocum Metropolitanæ, Origenista-
rum magni Patroni, potentiam atque existima-
tionem, qua apud Imperatorem plurimum polle-
bat, depressurum. Pelagius itaque a Monachis

Palæstina acerrimis doctrinæ Origenis insectatori-
bus rogatus, & continuis sollicitationibus impul-
sus, flagitavit a Justiniano Imperatore, ut Origenes
damnaretur. Anxius facillime Imperator, &
in Origenem circa annum dxlvi. lata est da-
minationis sententia, quæ, teste Liberato, non so-
lum a Menna Constantinopolitano Episcopo, ve-
rum etiam a Vigilio Romano Pontifice, Zoilo A-
lexandrino, Ephremio Antiochæno, & Petro Hiero-
solymitano subscripta, Doctrinæ Origenianæ gra-
ve vulnus intulit. At, proh dolor! hæc doctrinæ
Origenis damnatio ingentium turbarum & calamita-
tum origo ac seminarium fuit. Ejus enim defen-
sione desperata, Origenistæ ad ultionem animum
dolose verterunt. Theodorus siquidem mox citatus
Cæsareæ Cappadocum Metropolita, insignis Ori-
genista, & fautor Sectæ Acephalorum, qui Con-
cilium Chalcedonenfe rejiciebant, fraudulenter per-
suasit Justiniano Imperatori, omnes Acephalos
Concilio Chalcedonenfi haud difficulter subscri-
pturos, si tria tantum in prædicto Concilio facta,
quæ ad fidem minime attinebant, corrigerentur.
Nempe, si damnaretur Theodorus Mopsuestiæ Epi-
scopus, ejusque scripta diris devoverentur. Deinde,
si prosciberetur libri Theodoretæ Cyri Episcopi
Alexandrini in Ephesina Sancti Cyrilli Episcopi
generali Synodo consecrata. Denique, si Anathemati subiceretur E-
pistola Iba Edessepi Episcopi ad Marim Persam.
His tribus damnatis Capitulis, subitam om-
nium Acephalorum unionem Justiniano Impe-
ratori promisit. Hæc audiens Imperator, qui Ace-
phalorum unionem frustra hætenus tentaverat,
pacem hac trium Capitulorum damnatione se toti
orbi Christiano donaturum sperans, abjecta omni
cunctatione Edictum anno dxliv. contra tria hæc
Capitula promulgavit, cui Stephanus Diaconus
Constantinopoli Sedis Apostolicæ Apocrisarius, qui
Pelagio successerat, subscribere noluit. Ei tamen
tres Patriarchæ, licet inviti, subscripserunt, Men-
nas Patriarcha Constantinopolitanus, Petrus Hiero-
solymitanus, & Ephremius Antiochenus. Step-
hani Apocrisarii sui denegatam subscriptionem ap-
probavit, ratamque habuit Vigilius Papa, nec ullo
pacto adduci potuit, ut hoc Edictum contra tria
Capitula ab Imperatore promulgatum sua subscri-
ptione firmaret. Vigilius Papæ exemplum secuti sunt
omnes Occidentis Episcopi, arbitrati hoc Impe-
ratoris Edictum absque gravi in Synodum Chal-
cedonensem injuria approbari, aut aliqua subscri-
ptione muniti ullo modo posse. His difficultatibus
præpeditus Imperator, consultius esse duxit, ut
hæc quæstio discuteretur Constantinopoli in plena
Synodo, ad quam, ut facilius Patriarchas pertra-
here posset, Acephalorum Sectæ ad Orthodoxam
societatem reducendæ studium prætexuit. Ad hanc
Synodum Vigilius Romanus Pontifex ab Imperatore
vocatus, Roma sub finem anni dxliv. discessit,
non recta tamen Constantinopolim perrexit, sed
in Siciliam profectus est eo consilio, ut ibidem Sy-
nodus cogeretur. Constantinopolim tandem perve-
nit Vigilius die xxv. Januarii anni dxlvi. & sum-
mo honore a Justiniano exceptus est, ibique præ-
clara Pontificæ suæ auctoritatis exhibuit argumen-
ta.